Collection de la Bibliothèque des Exercices
de saint Ignace

ETUDES ET DOCUMENTS
paraissant tous les deux mois

N° 42
Décembre 1912

CONTEMPLATIO

AD AMOREM SPIRITUALEM

Méditations inédites.



ENGHIEN (BELGIQUE)
BIBLIOTHÈQUE DES EXERCICES

PARIS
P. LETHIELLEUX, EDITEUR
10, rue Cassette, 10.

REIMS
ACTION POPULAIRE
5, rue des Trois-Raisinets.

son regard plonge avec délices, il est ravi par le spectacle des perfections divines.

C'est sans doute pour avoir un mémorial de ses pieuses considérations sur l'amour spirituel, qu'un religieux de la Compagnie de Jésus du XVII[e] siècle les réduisit à douze méditations qu'il inséra dans un manuel de prières, composé pour son usage personnel (1) : elles nous ont semblé assez originales pour être reproduites dans la *Collection de la Bibliothèque des Exercices.*

Nous avons trouvé le livret qui les contient parmi les manuscrits de la Bibliothèque municipale de Bordeaux, n° 811 A; il porte le titre de *Manuel de prières à l'usage des Jésuites.* L'écriture est du dix-septième siècle. Au bas du folio 205, on lit cette signature : « Michel de Baonain, ce 14 janvier 1632 ». C'est sans doute le nom de l'auteur des méditations.

Pour parfaire notre fascicule, nous avons ajouté six méditations inédites, composées sur le même sujet par le P. de Ravignan. Elles sont extraites d'un recueil d'exercices de trente jours, donnés par lui à des religieux jésuites, à Estavayer en Suisse, en l'année 1833.

H. W., S. J.

---

(1) L'auteur cependant ne les avait pas entièrement tirées de son propre fonds. Plus encore que les PP. Alvarez de Paz et Busée qui ont composé pareilles méditations, il se souvient des écrits de saint Bernard, de saint Bonaventure, de Mauburnus, etc.

Circa contemplationem ad amorem spiritualem in nobis excitandum

Circa duas regulas initio contemplationis positas.

MEDITATIO PRIMA.

Post orationem præparatoriam et duo præludia initio contemplationis posita, colligendum est ex illa duplici regula :

1° Quantus sit amor Dei erga nos qui prius facere cœpit quam dicere posset aut promittere, nobis non existentibus; qui dicendo facit seu faciendo dicit, id est dicta factis exequitur; qui plus facit omnino quam dicit, promissa superando rebus ac factis ipsis : quo quid benignius?

Qui denique nihil sibi reliqui fecit ad communicandum nobis : communicavit enim seipsum et omnia sua; nos nostraque omnia; cœtera extra se nosque ipsos, omnia nullo excepto. Se, inquam, id est animam suam cum omnibus meritis suis, corpus suum cum omnibus actionibus ac passionibus suis; divinitatem suam cum omnibus attributis ac inde dimanantibus donis naturæ, gratiæ et gloriæ : quo quid liberalius?

Et seipsum communicavit ut principium, esse nobis nostrum et omnia quæ illud consequuntur, ac rebus omnibus aliis propter nos, concedendo; ut medium, ad

finem nos nostrum deducendo et ad illum consequendum mille modis coadjuvando; ut finem, summum se bonum nostrum ac felicitatem ultimam constituendo : quo quid munificentius ?

2° Quantulus sit amor noster erga Deum; quippe qui ne verbis quidem testari illum, vel volumus, vel valemus : quo quid minus ? Qui etsi verbis abunde testemur, factis tamen negamus : quo quid nequius ? Qui plura semper verbis, quam factis præstamus : quo quid vanius ? Qui omnibus in rebus ad ejus obsequium pertinentibus nobis parcimus, plura quam par sit vel fecisse rati vel facere formidantes : quo quid insanius ?

3° Quantus et qualis esse debeat noster in illum amor, nimirum ex toto corde, ut nihil penitus nisi ipsum vel propter ipsum amemus. Ex tota anima, ut nimirum in illo vel propter illum vivamus, atque adeo in ipso et per ipsum spiremus, cum ipso conspiremus, ad ipsum aspiremus, propter ipsum respiremus, erga ipsum suspiremus, ipsum aliis inspiremus, pro ipso et in ipso expiremus. Ex tota mente, ut nihil omnino nisi ipsum aut propter ipsum cogitemus. Ex omnibus viribus, ut omnes omnino animi corporisque vires in ejus obsequium impendamus.

Colloquium sicut in contemplatione.

Circa primum punctum contemplationis.

MEDITATIO SECUNDA.

Præmissis oratione et præludiis solitis, perpendenda sunt in genere beneficia sex ad quæ cætera omnia revocantur.

Ex quibus tria respiciunt præteritum tempus : nimirum Creatio, qua condidit me et alia omnia propter

me; Redemptio, qua dilexit me et tradidit semetipsum pro me; Vocatio, qua elegit me et assumpsit ut inhabitem in atriis domus ejus omnibus diebus vitæ meæ.

Duo respiciunt præsens tempus, scilicet Conservatio, qua me et alia omnia propter me fovet, eodem illo amore quo condidit; Justificatio, qua me ex filio iræ et perditionis fecit filium adoptionis, hæredem Dei et cohæredem Christi.

Unum respicit tempus futurum, nempe Glorificatio, qua me, quo constituit tempore, per gratiam suam transferet in regnum Filii dilectionis suæ, et manifestabit mihi seipsum, ut illum cognoscam sicut et cognitus sum. Ex quibus scilicet apparet :

1° Quantum benignissimus Dominus mea causa egerit et pertulerit.

2° Quantum mihi de thesauris suis largitus hactenus ac deinceps largiturus sit.

3° Quomodo, juxta decretum ac beneplacitum suum, totum se mihi quantum est ex se donare velit, dicere ut jure possit : Quid potui facere et non feci ?

Colloquium ut supra.

Circa beneficium creationis.

MEDITATIO TERTIA.

Præmissis oratione et præludiis solitis, consideranda est creatio, qua Deus ab æterno producere disposuit et in tempore produxit me et alia omnia propter me.

Me, inquam, produxit :

1° Radicaliter ex nihilo, ex infinito abysso non entis, nulla præexistente materia, nullis instrumentis coadjuvantibus, nullo cooperante.

2° Proxime ex substantia parentum, eis ut aliis causis secundis, existentiam, vires, appetitum, applicationem, efficaciam ad me producendum, ab initio mundi suggerendo.

3° Me produxit antea nec existentem, nec cogitantem, nec volentem, nec valentem, nec merentem existere, cogitare, velle, posse, mereri : quo quid imbecillius ?

Nunc ornavit tot animæ viribus corporeis, incorporeis; tot corporis membris internis, externis, tot utriusque dotibus natalibus, acquisitis ; idque ad suam imaginem quoad naturam, ad similitudinem quoad mores : quo quid nobilius ?

In posterum non agniturum tam munificum largitorem, neglecturum, offensurum, tam multiplici genere peccatorum, abusu benficiorum, contemptu bonitatis ipsius, immo et de peccatis gloriaturum, peccata etiam ementiturum, aliosque ad peccandum provocaturum : quo quid indignius ?

4° Produxit ex mero beneplacito ac liberali amore, quo ultro mei recordatus est, mihi bene voluit, mihi benefacere statuit ; nulla ex parte sua necessitate, utilitate, delectatione compulsus vel invitatus ; imo multipliciter potius ex parte mea retardatus, ob supinam oblivionem, ingratitudinem, nequitiam meam in talem ac tantum benefactorem : quo quid gratiosius ?

5° Produxit me inter tot millia millium creaturarum possibilium, quas numquam est producturus, quæ illum melius me procul dubio agnituræ, amaturæ, observaturæ, regratiaturæ, certe non adeo offensuræ essent : quo quid misericordius ?

6° Produxit ob nobilissimum finem, proximum, suam ipsius reverentiam, laudem, servitutem ipsi corde et opere exhibendam; ultimum, meam ipsius salutem,

id est sanctificationem per perfectionem, glorificationem, hic inchoandam in via, illic consummandam in patria : quo quid gloriosius ?

7° Produxit alia omnia propter me, ut his utar, fruar, uti, frui velim, possim omnibus et singulis ut propriis et peculiaribus, perinde ac si solus essem in mundo, ita ut plane et plene mea sint omnia et singula beneficia illis ipsis collata hactenus, vel in posterum conferenda : quo quid magnificentius ?

8° Produxit illa omnia, mihi ut essent tot memorialia benevolentiæ ac beneficentiæ erga me suæ; tot incitamenta amoris, obsequii, gratitudinis erga ipsum meæ; tot adjumenta salutis ac perfectionis meæ; unde velle debeo illum amare omnium cordibus, illum laudare omnium linguis, illi servire omnium manibus, immo optare ut omnia mea et aliorum interiora et exteriora verterentur in totidem corda, linguas et manus, ut melius et efficacius ipsi amorem, laudem, obsequium præstare possem : quo quid justius ?

Colloquium ut supra.

Circa beneficium conservationis.

MEDITATIO QUARTA.

Post orationem et præludia solita, consideranda est conservatio.

Ad quam pertinet : 1° Conservatio in esse et quasi perpetua creatio mei et eorum quæ in me sunt, aliorumque omnium mea causa conditorum; ut enim incipere potuerunt omnia, ita singulis momentis desinere possunt et ad nihilum redigi, nisi conserventur eadem

omnipotentia qua facta sunt; ita ut mihi tam novum videri debeat ac singulare quam si momentis singulis me, et omnia propter me conderet, ac mihi donaret : quo quid largius ?

2° Providentia ad quam referuntur hæc quatuor : 1° Recordatio continua mei et mearum rerum omnium in particulari, ut membrorum, facultatum, ossium, capillorum, respirationum, etc., et mei causa omnium elementorum, animalium, seminum, foliorum, lapidum, etc. : quo quid sollicitius ?

2° Dispositio ac series continua causarum, quarum ministerio ad ea mihi conferenda usus est hactenus, utitur assidue, utetur in posterum, ita sollicite ac peculiariter ac si de me uno cogitaret : quo quid indulgentius ?

3° Directio particularis ad quam spectant, circa mala, præservatio ab incurrendis; confortatio in occurrentibus; liberatio ab incursis omnibus damnis, incommodis, quæ sunt incredibilia, innumerabilia, inevitabilia, sive præterita illa sint, sive præsentia, sive futura, seu possibilia; nullum est enim quod mihi contingere non potuerit hactenus, vel in posterum possit.

Circa bona, inductio ad ea incipienda, deductio ad ea promovenda, perductio ad ea perficienda, et ad hunc finem procuratio continua necessariorum, utilium, delectabilium, omnis generis, tam circa corpus quam circa animam : quo quid paternius ?

4° Benevolentia singularis ad prædicta omnia mihi procuranda ac præstanda, nec merenti, nec petenti, nec cogitanti, nec agnoscenti, insuper et contemnenti, et de offensis glorianti, aliosque ad eum offendendum provocanti : quo quid benignius ?

Colloquium ut supra.

Circa beneficium redemptionis.

MEDITATIO QUINTA.

Post orationem et præludia, considerandum redemptionem duo dicere : scilicet præservationem et liberationem ab omnibus peccatis et pœnis incursis vel incurrendis, pro quibus Christus mortem subiit a me parricida, pro me inimico, propter me ingratum : « Dilexit enim me et tradidit semetipsum pro me ».

Subiit, inquam : 1° Summam demissionem.

In incarnatione ad summam vilitatem naturæ nostræ, ipse Deus ac Dominus majestatis.

In nativitate ad extremam inopiam et mendicitatem, ipse dives in omnes, qui invocant illum.

In vita omni ad innumerabiles miserias et labores continuos, ipse apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.

In morte ad indignissimas contumelias et probrosissimum extremi supplicii genus, ipse Dominus virtutum et Rex totius gloriæ.

Post mortem ad inferos, id est, infimum mundi locum, ipse cui cœlum sedes et terra autem scabellum pedum ejus.

Post resurrectionem ad varias suorum incredulitates, qui resurrexit propter justificationem nostram.

Post ascensum in cœlum ad infinitas tam a suis quam ab aliis contumelias, persecutiones, indignitates, tum in Eucharistia, tum in membris suis, ipse qui sedet ad dexteram Majestatis in excelsis.

2° Extremam perpessionem :

In anima, per extremos angores ad sudorem usque sanguineum ex apprehensione paternæ offensæ, tormen-

torum imminentium, ingratitudinis nostræ, perexigui fructus passionis suæ, habita ratione valoris.

In corpore, per acerbissimos cruciatus ad violentissimam usque mortem, qua clamans voce magna expiravit, disrupto corde.

In bonis externis, per omnimodam expoliationem rerum omnium, etiam propriæ matris discipulo traditæ.

3° In his omnibus, passus : *1°* Plus quam oportuit ad promerendam omnem omnium sanctorum gratiam, consolationem, perseverantiam, gloriam ; ad compensandam omnem omnium peccatorum, præteritorum, præsentium, futurorum, possibilium et inferorum pœnam.

2° Quantum potuit robustissima ætas, perfectissima complexio corporis, invicta constantia animi, unita Deo humanitas, et ad plus patiendum confortata usque ad extremum.

3° Minus multo quam voluit, plura enim et diriora pati volebat, nec valebat, unde se derelictum clamabat; et ex aperto demortui latere continuo exivit sanguis et aqua, non mortui amoris in signum cum corpore.

Colloquium ut supra.

Circa beneficium justificationis.

MEDITATIO SEXTA.

Post orationem et præludia solita, considerabis quo modo justificatio complectatur :

Primario et essentialiter : 1° Purgationem ab omni peccato originali per baptismum, actuali mortali per sacramentum pœnitentiæ cum attritione, vel contritione vera (etiam extra sacramentum); veniali autem per omnia sacramenta novæ legis ac per sacramentalia,

qualia sunt signum crucis, tunsio pectoris, aqua lustralis, oratio dominica, etc...

2° Infusionem primæ gratiæ justificantis in ipso baptismo, vel restitutionem ejusdem gratiæ per mortale peccatum amissæ in pœnitentiæ sacramento, aut etiam per contritionem cum eorum voto in adultis.

3° Augmentum ejusdem gratiæ per cujuslibet sacramenti susceptionem, maxime vero Eucharistiæ, in qua est fons et plenitudo omnis gratiæ, Jesus Christus Dominus, de cujus plenitudine nos omnes accepimus gratiam pro gratia; vel per quamlibet piam operationem externam, vel internam in gratia factam.

Secundario et accidentaliter : 1° Infusionem virtutum theologicarum, donorum Spiritus Sancti, fructuum ejusdem, virtutum moralium, una cum ipsa gratia justificante, cum qua inseparabiliter inhærent.

2° Augmentum eorumdem omnium donorum, fructuum, virtutum, quæ per actus proprios crescunt assidue in justis, quorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem, ut qui justus est, justificetur adhuc, ut qui sanctus est, sanctificetur adhuc.

3° Communicationem auxiliorum particularium, ad recte seu meritorie operandum, sive illa sint :

Antecedentia, qualia sunt in intellectu illustratio divina, seu pia et sancta cogitatio ; in voluntate, suavis et congrua motio et inclinatio ad recte et ex virtute operandum.

Concomitantia, qualia sunt efficax, seu actualis determinatio voluntatis, seu imperium ejusdem, applicatio reliquarum potentiarum ad opus, perseverantia in agendo ad finem usque, sive actionis cujusque seu vitæ universæ, quæ omnia proportione crescunt una cum augmento ejusdem gratiæ justificantis.

Colloquium ut supra.

Circa beneficium vocationis.

MEDITATIO SEPTIMA.

Præmissis oratione et præludiis solitis, meditandum qualiter religiosa vocatio continet :

1° Et essentialiter, desiderium, professionem, executionem consiliorum evangelicorum : voluntariæ paupertatis, angelicæ castitatis, obedientiæ consummatæ, in quibus religiosæ vitæ atque adeo totius perfectionis summa consistit.

2° Et consequenter, omnimodam præcisionem occasionum peccandi; itemque omnimodam subministrationem occasionum bene et laudabiliter operandi, per quæ, ex d. Bernardo, homo in religione :

1° Vivit purius, observando paupertatem, castitatem et obedientiam perpetuam cum omnibus circumstantiis et adjunctis suis.

2° Cadit rarius, sollicite fugiendo occasiones malas, conversationes perversas, pericula mundi.

3° Surgit velocius, contemplando Sacræ Scripturæ sententias, exempla Sanctorum, conviventium fervorem.

4° Incedit cautius, attente considerando peccata præterita, præsentes imperfectiones, futura præmia bonorum et malorum.

5° Operatur efficacius, ob majorem animi puritatem et applicationem, uberiorem vocationis gratiam, abundantius meritum ex votis.

6° Quiescit securius, ob gustum virtutum solidarum, donorum Spiritus Sancti, internarum consolationum.

7° Irroratur frequentius, per continuum augmentum bonæ dispositionis, custodiæ divinæ gratiæ, familiaritatis cum Deo et Sanctis.

8° Agit cum Deo familiarius, ob consuetam et crebram sacramentorum usurpationem, orationum assiduitatem, occupationum sanctitatem.

9° Purgatur citius, ob abundantiam præsentium remediorum, subitarum inspirationum, frequentiam exhortationum.

10° Moritur confidentius, ob efficaciam et copiam privilegiorum religionis, operum meritoriorum, auxilii Sanctorum et fratrum.

11° Præmiatur copiosius, ob præteritam imitationem Christi, vitam religiosam, victoriam hostium, mundi, carnis, dæmonis, cui triplex laureola debetur, scilicet paupertatis, castitatis, obedientiæ.

Colloquium ut supra.

Circa beneficium glorificationis.

MEDITATIO OCTAVA.

Post præludia solita, considerandum quod glorificatio generatim complectitur :

1° In anima quatuor dotes in quibus essentialiter beatitudo consistit, nimirum :

Visionem qua Deum in se sicuti est, et in Deo quæcumque volemus clarissime intuebimur; tunc enim cognoscam sicut et cognitus sum.

Dilectionem qua Deum, quantum cognoscemus, et alia omnia in eo et propter eum, quantum oportebit, perfectissime diligemus; erit enim Deus omnia in omnibus.

Comprehensionem qua Deum sic cognitum et amatum suavissime possidebimus. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Tenui eum nec dimittam.

Fruitionem qua Deo, unico et summo bono nostro sic cognito, amato, possesso, jucundissime perfruemur. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

2° In corpore quatuor autem dotes seu aureolas in quibus accidentalis beatitudo consistit, scilicet :

Claritatem qua pervium omnibus et omni ex parte diaphanum corpus nostrum, aliud quodcumque corporeum lumen superabit; fulgebunt enim justi sicut sol in conspectu Dei, et quod seminabitur in ignobilitate surget in gloria.

Impassibilitatem qua nihil a quocumque agente damni vel incommodi pati poterit : non enim esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol neque ullus æstus, et mors ultra non erit; et quod seminatur in corruptione, surget in incorruptione.

Agilitatem qua ibi statim erit ubi volet, et quando et quomodo volet anima, cui parebit ad nutum : fulgebunt enim justi et tamquam scintillæ in arundineto discurrent; et qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ; current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient; quod seminatur in infirmitate surget in virtute.

Subtilitatem qua omnia quantumvis dura et densa ad instar spiritus penetrabit; seminatur enim corpus animale, surget corpus spirituale.

Hinc porro fiet :

1° Ut nos omnes, juxta Apostolum, revelata facie, nec jam per speculum aut in ænigmate, sed facie ad faciem gloriam Domini speculantes cognitione, intuitiva per claram Dei visionem, penetrativa per intimam comprehensionem, affectiva per amorosam fruitionem, unitiva per omnimodam transformationem.

Speculantes, inquam, gloriam Domini :

1° Esse divinum quale fuit ab æterno ante mundi constitutionem, quale est eritque in æternum, vel non-obstante mundi constitutione, quale futurum esset posita mundi rerumque omnium annihilatione.

2° Trinitatem personarum perfectissimam sine ulla divisione, omnimodam unitatem sine ulla confusione, æqualitatem absolutam cum alterius ab altera processione et dependentia.

3° Attributa potentiæ, sapientiæ, bonitatis, et alia omnia numero, infinitate, magnitudine immensa, excellentia incomprehensibilia.

4° Res omnes in illo tamquam principio unde prodierunt, ideam ad quam facta sunt, fine ad quem referuntur, idque immutabiliter, sive illæ præteritæ sint, seu præsentes, seu futuræ, sive etiam possibiles.

Transformabimur deiformes quodam modo effecti, ferri candentis instar, per intimam, non tamen essentialem, esse nostri natalis, corruptibilis, creati [mutationem], in eamdem imaginem divini esse supernaturalis, gloriosi, increati : unde fiet ut Deum amemus in se et propter se, tanquam summum bonum, honestum, delectabile, utile, necessarium ad omnia, intra omnia, super omnia, suam ipsi essentiam, potentiam, gloriam ex puro amore amicitiæ congratulando, reliqua vero omnia quæ extra ipsum sunt cum ipso, in ipso, per ipsum, propter ipsum ut causam realem, formalem, effectivam, finalem purissimi eorum amoris; a claritate viæ, gratiæ, creaturæ, in claritatem patriæ, gloriæ, increatæ naturæ tanquam a Spiritu Domini illuminante, elevante, confortante per lumen gloriæ in quo, cum quo et per quod videbimus lumen nunquam occidens, indeficiens, semper oriens.

2° *Sedebit populus Dei,* gens sancta, populus acquisitionis, sedebit, inquam, et conquiescet post tot peregrinationes, tot circumitus, tot naufragia, tot dimicationes, ut in patria, ut in centro et in portu, ut in loco triumphi, periculis omnibus superatis, dicens : Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.

In pulchritudine pacis :

1° Domitis hostibus internis, passionibus, inclinationibus, habitibus vitiosis; externis, diabolo cum suis tentationibus, mundo cum suis ambitionibus, carne cum suis titillationibus.

2° Compositis rebus internis, memoria recordante, intellectu cogitante, voluntate appetente summum et solum bonum; externis, sensibus expletis, viribus refectis, membris renovatis.

3° Stabilita concordia cum Deo dominante, sanctis conspirantibus, spiritu gubernante, carne famulante; contra omnes rebelliones, difficultates, tarditates, defectus.

In tabernaculis fiduciæ :

1° Ex intima et intuitiva cognitione divini decreti futuræ æternitatis, perpetuæ immutabilitatis.

2° Ex inenarrabili effectu boni clare et evidenter cogniti, insatiabiliter amati, amabiliter possessi, inseparabiliter uniti.

3° Ex merita et irrevocabili ejusdem possessione et ineffabili gaudio, quod debetur et dabitur ut hæreditas filio, merces operario, corona victori.

In requie opulenta, ob mensuram bonam confertam, coagitatam et supereffluentem quam dabunt in sinum nostrum per omnimodam intellectus illuminationem, appetitus expletionem, memoriæ satisfactionem, ex fruitione bonorum omnium, honestorum, utilium et delectabilium. In qua erit expletio sine satietate, desi-

derium sine anxietate, securitas sine formidine et per quam terrenæ omnes voluptates desipiantur, cælestia desideria complebuntur, præterita omnia mala et incommoda luentur, et jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ullus, quia prima abierunt, sed contra gaudium et lætitia invenientur in ea, gratiarum actio et vox laudis in perpetua æternitate.

Colloquium ut supra.

Circa secundum punctum contemplationis.

MEDITATIO NONA.

Præmissis oratione et præludiis solitis, speculari oportet Deum reipsa existentem in omnibus rebus, per essentiam, eis esse dando, easque continue conservando; per præsentiam, omnia intuitive et intime contemplando; per potentiam, omnia in omnibus operando.

Existentem autem :

Generaliter in creaturis omnibus, et singulis, ac elementis dantem ut sint; plantis ut sint et vivant; brutis ut sint, vivant et sentiant; angelis ut sint vivant et intelligant : hominibus ut sint, vivant, sentiant et intelligant.

Existentem, inquam, ita ut, sicut ille canit, sit :

Super cuncta, subter cuncta,
Extra cuncta, intra cuncta,
Intra cuncta, nec inclusus,
Extra cuncta, nec exclusus,
Super totum præsidendo,
Subter totum sustinendo,

Extra totum complectendo,
Intra totum adimplendo.
Intra nunquam coarctatur,
Extra nunquam dilatatur,
Subter nullo fatigatur,
Super nullo sustentatur.

Idque eo fine et consilio ut :

Ubique a me cognoscatur,
Ubique a me inveniatur,
Ubique a me timeatur,
Ubique a me colatur,
Ubique a me invocetur,
A me in omnibus ametur,
A me in omnibus honoretur,
A me ipsi in omnibus serviatur,
Operanti mihi præsens adsit,
Mihi sit omnia in omnibus,
Mihi se totum in omnibus largiatur.

Mecum in omnibus detinetur, cujus deliciæ esse cum filiis hominum.

Unde in me excitentur hi affectus : fides ac jugis recordatio divinæ præsentiæ ; fiducia et recursus ad ipsum in adversis ; timor offensæ ipsius, ex abusu creaturarum et ipsius in creaturis ; religio et pietas, qua invocetur, adoretur, juretur in qualibet creatura ; dilectio bonitatis ejus ubique diffusæ ; obsequium ipsi in omnibus impendendum ; reverentia ipsi in singulis exhibenda ; fidelitas et circumspectio in obsequio ejus omnia contuentis ; gratitudo erga tam munificum largitorem ; unio intima cum tam intimo amatore ; fruitio seu delectatio singularis ex tanti boni pacifica possessione.

Peculiariter existentem in me tanquam in templo seu sacrario quodam suo, prædicta omnia mihi et singula largiendo, non obstantibus demeritis, ingratitudinibus, abusibus, offensis meis continuis.

Unde sequitur : Deum mihi quantum simul omnibus contulisse ;

A me uno tantum ipsi, quantum ab omnibus deberi ;

Mihi in me, non meipsum, sed Deum amandum esse ;

Deo semper, ut mihi et plus quam mihi adhærendum ;

Nihil de me, non pro me, sed pro Deo curandum esse ;

Nihil mihi de me, indignum Deo, statuendum ac permittendum ;

Divinam in me, meisque membris ac potentiis puritatem, ac sanctimoniam quantum fieri possit procurandam.

Quippe qui in me est, ut mihi det esse,

Juxta me est ut me defendat,
Intra me est ut me reficiat,
Circa me est ut me conservet,
Ante me est ut me deducat,
Retro me est ut me instiget,
Contra me est ut me castiget,
Supra me est ut me benedicat,
Infra me est ut me sustentet,
Mecum est ut mecum laboret.

Ex quibus omnibus abunde colligitur quam et quo modo verum sit :

1° Illud S^ti Pauli, Actorum 17 : « *Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non*

longe sit ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. »

2° Illud Christi, Math. 18 : « *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* »

3° Illud ejusdem, Math. 25 : « *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* »

4° Illud Jeremiæ 23 : « *Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? dicit Dominus. Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus.* »

5° Illud Hebræorum 4 : « *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu Dei; omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* »

6° Illud Ecclesiastici 17 : « *Omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei; et oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum.* »

7° Illud Jeremiæ 17 : « *Pravum est cor omnium et inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes; qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum.* »

8° Illud Dei ad Abraham, Gen. 17 : « *Ambula coram me, et esto perfectus.* »

9° Illud David, Ps. 15 : « *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* »

10° Illud Rom. 11 : « *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* »

11° Illud I Corinth. 6 : « *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* »

12° Illud ibidem, 3 : « *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* »

13° Illud ibid. 6 : « *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* » Et similia.

Colloquium ut supra.

Circa tertium punctum contemplationis.

MEDITATIO DECIMA.

Præmissa oratione et præludiis solitis, contemplemur quomodo Deus operetur et quodam modo laboret propter me :

1° Generaliter cum omnibus et in omnibus causis secundis :

1° Singulis suum esse tribuendo,
2° Eas in suo esse conservando,
3° Vires eis ad operandum suggerendo,
4° Eas ad operandum incitando,
5° Eas in suis operationibus adjuvando,
6° Intimius ipsis cum ipsis ac per ipsas operando,
7° Ad finem debitum earum operationes perducendo,
8° Intimam effectuum illarum substantiam sua vi et operatione penetrando; ita ut omnes et singuli earum effectus, citra omnem defectum qui cadere in ipsum non potest, prius ac principalius ab ipso et per ipsum sint, unde ipse est qui :

Cum sole et per solem illuminat,
Cum igne et per ignem calefacit,
Cum aqua et per aquam mundat,
Cum aere et per aerem refrigerat,
Cum terra et per terram sustentat,
Cum cibo et per cibum nutrit,
Cum potu et per potum reficit,
Cum animalibus et per animalia juvat,
Cum seminibus et per semina producit,
Cum flore et per florem delectat,
Cum anima et per animam vivificat, etc.

Et denique omnia in omnibus, per omnia et cum omnibus operatur, quoniam in ipso et per ipsum, et ab ipso sunt omnia :

Sive quæ secundum naturam et prædicta omnia, quæ vires agentium non excedunt, sive quæ supra naturam, quæque ab agentibus naturalibus attingi non possunt, qualia sunt :

Ex nihilo creare, in nihilum redigere jam creata, naturas rerum permutare, ut virgam Mosis in serpentem, aquas Ægypti in sanguinem, nuptiarum in vinum, etc.

Totam unius rei substantiam in alteram convertere, ut fit in Eucharistia per transsubstantiationem panis in corpus, et vini in sanguinem Christi.

Multiplicare substantias ut in panibus et piscibus factum.

Rem eamdem diversis in locis simul et semel collocare, ut fit in Sanctissimo Sacramento.

Vel contra res diversas in eodem loco, ut in nativitate, resurrectione et ascensione.

Ordinarios rerum cursus inhibere, ut solem ad jussum Josue, aquas in Jordane; eumdem rerum cursum retro trahere, ut solem ad nutum Ezechiæ.

Brutis loquelam ac sensum præstare, ut in asina Balaam, et similia multa.

Sive quæ contra naturam, quæ non solum naturæ cujusvis creatæ vim et potentiam excedunt, sed contra ejus inclinationem ac propensionem diverse tendunt, qualia sunt : flumina retrocedere ut de Jordane legitur, ferrum aquis innatare ut de Eliseo, aquis sicco vestigio inambulare ut de Christo et Petro, flammam refrigerare ut in fornace Babilonica, et sic de cæteris.

2° Peculiariter in me et per me, cujus causa in omnibus et cum omnibus operatur, unde non tantum :

Cum mihi ministrantibus ministrat,
Cum me vestientibus vestit,
Cum me docentibus docet,
Cum exhortantibus exhortatur,
Cum consolantibus consolatur,
Cum gubernantibus gubernat,
Cum castigantibus castigat, etc.

Sed me etiam audiente, audit,
vidente, videt,
loquente, loquitur,
intelligente, intelligit,
volente, vult,
orante, orat,
audente, audet,
quiescente, quiescit,
manducante, manducat.

Et denique quidvis, citra omnem defectum, necessitatem aut mutabilitatem, facit; est enim causa efficiens, non deficiens, voluntaria, non necessaria, immutabilis, non mutationi subjecta, ut vere omnino dicatur :

Mundum movens non movetur,
Locum tenens non tenetur,
Tempus mutans non mutatur,
Vaga firmans non vagatur.
Vis externa, vel necesse,
Non alterant ejus esse :
Quod novum erat et pridem,
Semper illi nunc et idem.

Ex quorum omnium contemplatione omnes hi ac similes affectus excitandi, scilicet :

Recognitio divinæ dignationis, sese ad infima quæque mei causa demittentis.

Gratiarum actio pro omnibus quæ a nobis vel pro nobis ab omnibus fiunt.

Recta intentio pro illo pure operandi, sicut ille pro me operatur.

Horror abutendi Deo, ejusque concursu, ad ejus offensam, contumeliam et contemptum.

Cautio ne manus Deo quodammodo ligemus, ab operibus cessando, quæ ille maxime fieri vellet.

Æquanimitas in omnibus adversis de ipsius manu suscipiendis ac perferendis.

Æstimatio præclara cujuscumque ministerii vel officii mihi impositi, cui se tanta majestas impendit.

Fiducia quantumvis magna et ardua aggrediendi et exequendi cum tali ac tanto adjutore.

Delectatio in operando ex tam suavi talis cooperatoris auxilio ac societate.

Facilitas operandi, Deo præcipuam laboris partem sustinente, nobisque robur suggerente.

Alacritas ad operandum, Deo nos et exemplo suo provocante, et cooperatione juvante, ac virtute confirmante, et mercede remunerante.

Colloquium ut supra.

Circa ultimum punctum contemplationis.

MEDITATIO UNDECIMA.

Post orationem et præludia solita considerandum :

1° Omnem creatam perfectionem, ab increata seu divina pendere, ut radium a sole, rivulum a fonte,

ramulum a radice. Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.

2° Omnem perfectionem creatam, finitam in se ac limitatam, in Deo esse infinitam ac illimitatam : ideoque illius ad increatam nullam omnino proportionem esse; atque adeo illam præ hac nihil prorsus esse. Substantia mea tanquam nihilum ante te.

3° Omnem creatam perfectionem communicari a Deo, quasi pro signo et tessera eorum quæ in ipso sunt omni ex parte infinita, quæque quantum in ipso est communicare nobis ipse cupit. Ostendam tibi omne bonum.

Unde sequitur necessario :

1° Ex qualibet perfectione creata investigandam quoque increatam; ut ex claritate claritatem, suavitate suavitatem, pulchritudine pulchritudinem, sapientia sapientiam, bonitate bonitatem, etc. Invisibilia enim Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.

2° Ex amore creatæ perfectionis ad amorem increatæ transcendendum. Sero te amavi, pulchritudo nova, tam antiqua, sero te amavi.

3° Creatam omnem perfectionem ad increatam tamquam ad propriam originem et finem referendam. Ego sum alpha et omega, principium et finis.

4° Gratiam et gloriam pro quavis perfectione creata, increatæ tantum tribuendam. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

5° Quamlibet creatam perfectionem non nisi propter increatam, vel æstimandam vel amandam. Minus, Domine, te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.

6° In nulla creata perfectione, donec ad increatam perveniatur, conquiescendum. Fecisti nos, Domine, ad te, ideo inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

7° Omnem creatam perfectionem præ increata contemnendam. Omnia detrimentum feci, et arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifaciam.

8° Unicam perfectionem increatam nobis pro omnibus ac singulis creatis habendam, amandam, persequendam. Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

9° Ad solam increatam enitendum, suspirandum, anhelandum. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei.

10° In illa sola et simplici ut in summo bono conquiescendum. Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Colloquium ut supra.

Circa compellationem divinæ Bonitatis, quæ est post primum punctum contemplationis et repeti debet in singulis.

MEDITATIO DUODECIMA.

Post orationem et præludia solita, meditanda sunt tria.

1° Oblationem faciendam esse illis verbis:

Suscipe, Domine, universam libertatem meam. Et faciendam non per solum propositum, aut voluntatem, aut protestationem, aut promissionem, aut votum, sed

per actualem exhibitionem seu præsentationem, seu traditionem realem. Ideo dicitur *suscipe,* quasi dicatur : ut reipsa tibi eam trado, sic eam tu reipsa accipe et admitte.

Et faciendam non uniuscumque rei, sed præstantissimæ, sed perfectissimæ, sed difficillimæ, nimirum libertatis, qua sola a brutis distinguimur, qua nostri ipsorum rerumque domini sumus, qua rebus animatis omnibus et inanimatis præsidemus; qua Angelis æquales ac Deo etiam ipsi similes et conformes sumus, utpote in qua sola proprie sita est imago et similitudo Dei, ad quam formati et reformati sumus; qua denique ipsi quodammodo omnipotentes in microcosmo nostro, cum sit potestas faciendi vel non faciendi quodcumque libet aut non libet, propterea dicitur *libertatem.*

Ut libertatis non unius aut alterius rei sit, sed universæ, sive oppositionis ea sit, qua opposita velle possumus, sive contradictionis, qua unum et idem velle aut nolle, et modo velle, modo nolle, prout allibuerit, valemus, idque in omnibus et per omnia nullo excepto; ideo dicitur *universam.*

Et libertatis nostræ, quæ sola proprie et perfecte nostra est, qua sola cætera omnia nostra sunt, imo et nos ipsi nostri. Ideo additur *meam,* utpote cujus solius solidum habemus dominium, et per ipsam reliquorum omnium.

Addendam quoque oblationem memoriæ, intellectus et voluntatis nostræ per illa verba : *Accipe memoriam, intellectum et voluntatem meam :*

Memoriæ, ut jugiter ejus ac reliquorum ipsius gratia recordemur; intellectus, ut de ipso vel propter ipsum de cæteris cogitemus; voluntatis, ut ipsum solum vel ob ipsum cætera omnia diligamus : in quarum potentiarum usu potissimum exercet homo suam libertatem.

Ideo signanter additur *meam,* non enim est dominus alienæ, sicut nemo ipsius, præter solum Deum.

Denique faciendam oblationem hujusmodi in homagium et recognitionem summi et absoluti dominii quod Deus habet in omnia, et cujus gratia Dominus universorum ipse est; nos autem servi ejus et servi nati, facti, redempti, destinati, devoti, conservati et quod pejus inutiles, quique mille modis nos et omnia nostra, quæ ipsius longe magis quam nostra sunt, illi debemus. Ideo dicitur *accipe* quod tibi tot modis debitum est.

2° Exhibendam illi gratitudinem :

